

rum ad imperium subditosque tuendos animus ; verum etiam eximia quædam in Italia defendenda constantia inspiciebatur. Id Senatus consultum , quod non minus ad Reipublicæ , quam ad Italiæ commodum latum fuisse , Patres per Paulum Parutam , oratorem , Clementi significarunt ; qui , Senatus summa prudentia , atque in christianam rem publicam pietate commendata , ei gratulatus , nascenti tum Palmæ Apostolicam benedictionem est impertitus . Nec minori lætitia oppida urbesque Reipublicæ affectæ , certatim egregiæ voluntatis argumento haud exiguum pecuniæ vim liberaliter contulere , quæ ducentum fere aureorum millium summam æquavit . Opus summo studio , atque ingenti ardore a Marco Antonio Barbaro inceptum , undique ex Galliæ Cisalpinae ac Veneta regione agrestium hominum turba confluentे , brevi adeo excrevit , ut ad hostium conatus excipiendo idoneum haberetur ; continuatisque operibus ad præsentem amplitudinem firmitatemque , quam cernimus , perductum . Omnium consensu , atque eorum in primis , qui militarem disciplinam profitentur , inter præcipuas totius Europæ arces cenfetur .

Dum hæc a Venetis geruntur , Byzantio Amurathem in Cæsarem bellum pronunciasse , in Pannoniæ & Croatiæ finibus copias augeri nuntiabatur . Rodulphus , ut hostis impetum sustineret , milites ex suis regnis ac ditionibus cogere , christianorum Principum subsidia flagitare . Clementis Cæsari subveniendi desiderio Galliæ turbines obstabant . Philippus Gallico ac Belgico bello , classisque turcicæ (licet minore , quam rumor attulerat , numero egressa) suspicione detinebatur . Veneti suis rebus minime conducere arbitrabantur , pacem cum Ottomanis Regibus antea sanctam turbare . Verum Pragæ indictis comitiis , a Cæsare pecunia cogebatur , delectus copiarum urgebatur , præsidia limitanearum arcum disponebantur . Diversa ex parte Assanes Bosinæ Bassa in Duropoliam insulam illatus , cuncta populabatur ; Robertus Egembergius Lubiana ad Zagabriam urbem tutandam se contulerat . At Assanes Sissacum , inter Saccam , & Culpam amnes in eadem insula situm , Canonicorum Zagabriensium ditionis oppidum , adortus , dispositis tormentis ,

*Bellum en-
ter Rodul-
phum Cæ-
sarem , &
Amurathem.*

ver-